

tate tamen, eum cui detraxisti, singulariter ipsum honorare, familiariter cum ipso conversari, frequenter declarare, quod ipsum habes pro viro probato, &c. Et hoc ita caute, inquit Cajet., ne videaris hoc facere pro restitutione, quia hoc esset infamiae conservatio.

Dices: Vel laudabis in eadem materia, in qua detraxisti, vel in alia: si in eadem materia, ut quem dixisti fornicarium, laudes ut castum, mentiris: si in alia materia, ut quem dixisti fornicarium, laudes ut iustum, aut misericordem, non restituisti famam ad aequalitatem, nec extinguitur prior infamia de fornicatione: ergo iste modus non est conveniens. Ita P. Henno, & Perfector Tourneli. R. 1. Dilemma non esse immediatum; datur enim medium, nimirum laudare in genere ut virum probum. R. 2. Primum assumptum non esse generaliter verum, qui enim fuit antea fornicarius, potest tunc esse castus, & ita debet presumere, nisi constet de opposito, quo casu eum laudando ut castum non mentiris. Item secundum assumptum non videtur etiam generaliter verum, potest enim fieri, quod frequenter honorando, & laudando illum, de quo detraxi, sive in genere ut virum probum, sive in certa materia, alii bonam etiam de ipso opinionem concipiant, ut putent, me in ejus diffamatione fuisse deceptum, aut ea obliteretur. R. 3. Dato quod non sit restitutum ad aequalitatem, erit saltem compensatio, qualis est possibilis. Unde nostro, & multorum iudicio iste modus est convenientissimus.

Bannes, & quidam alii opinantur, diffamatorem posse dicere, se falsum dixisse, aut mentitum fuisse; quia, inquit, iuxta S. Th. 1. p. q. 17. a. 1. Ipsa peccata falsitates, & mendacia dicuntur in Scripturis, secundum illud Ps. 4. ut quid diligis vanitatem, & queritis mendacium? Unde sic loquendo non mentitur. Verum hunc modum rejicit communis Sententia, & merito; quia illae formulae secundum communem usum loquendi in praesentibus circumstantiis non significant, nec intelliguntur ad sensum Scripturae citatae de falsitate practica, quae est difformitas a recto, seu quodcumque peccatum, sed de falsitate speculativa, quae est difformitas enuntiationis a re enuntiat: quapropter dicendo, se falsum dixisse, aut mentitum fuisse, dum verum dixit, revera mentiretur. Adde, quod, hoc modo admissio, non restaret modus reparandi famam ablatam per calumniam. Quantumvis enim dicas, te falsum dixisse, auditores astuti intelligent, aut saltem suspicabuntur, te loqui de falsitate practica, seu de mendacio improprie dicto, sumpto scilicet pro quocumque peccato.

Dico 3. (Ib. & ad 1.) Quando fama restitui non potest modis assignatis, debet aliter compensari, nimirum per pecuniam, aut aliquam pecuniam aestimabilem, per preces, elemosynas, aut per alium aliquem convenientem modum secundum arbitrium boni viri, considerata conditione utriusque personae. Ita cum S. Th. docent Adrian. Soto, Sylvius, Valent. Covarr. & alii contra alios etiam plures praesertim Recentiores, pro quo vide, quae dixi supra de homicidio Dissert. 10. art. 11. §. 1. Unum addo, quosdam scilicet interpretari S. Th. de reparatione famae, vel membri abscissi in pecunia, ubi accedit Sententia Iudicis, aut Confessarii: sed, inquit, pecunia tunc traditur in poenam delicti, non in compensationem lesionis: ita R. P. Henno. Sed contra. S. Th. ibi loquitur de restitutione, prout est actus Justitiae necessarius ad salutem, & non ut est poena a Iudice imposita, ut patet ex argumento primo, cui respondet. Insuper non dicit, hanc compensationem fieri debere secundum Sententiam Iudicis, sed secundum arbitrium boni viri: bonus autem vir consultus non infligit poenam, sed, quae sunt ex debito conscientiae faciendi, decernit, seu indicat. Tandem S. Th. loquitur expressè de compensatione, & non de poena.

Dices: Qui diffamavit imponendo falsum, non tenetur pecunia compensare, postquam asseruit juramento, aut testibus, si opus sit, se falsum dixisse, ut notavimus supra: ergo pariter non tenetur, qui diffamavit verum injuste revelando, postquam per duos priores modos restituit quantum potuit. R. N. Conseq. Disparitas est, quod primus efficaciter diffamationem reparat, nec ipse sit amplius causa malae opinionis apud alios perseverantis, sed ipsa eorum perversitas. At non sic secundus, ut patet, & supponitur. Ceterum fateor, hujusmodi compensationem in pecunia non esse in usu, non quod absolute non debeat, sed quia diffamati non solent illam exigere, eo quod probrosum sit inter homines famam suam quasi venalem habere, & pecuniam pro illa accipere, aut exigere; quique id faceret, vilissimae, & abjectae famae haberetur. Unde quamvis videamus quandoque mutilatos pro damno personali, seu doloribus aliquid petere, nunquam tamen vi-

demus diffamatos pro fama abhata pecuniam exigere.

Utrum tandem, si fama sufficienter restitui non possit per duos priores modos, neque pecunia compensetur, adhibenda sit poena? R. Poenitentiam venia non videtur hic magis necessariam, quam in aliis injuriis, puta in furto; tum quia per hanc non magis reparatur fama, quam fortunae bona: nec est simile de honore, hic enim reparatur per veniaem poenitentiam, unde est modus conveniens; tum etiam quia, qui nihil potest, nihil debet. Adde, quod, cum saepe diffamator lateant diffamatio & diffamator, ex utriusque prodione timenda forent odia & rixae potius, quam speranda condonatio. Ubi tamen haec inconvenientia non timeretur, & incertum foret, quod saepe contingit, an fecerimus omnia, quae possumus & debemus ad restitutionem, consulto adhibenda foret ad majorem conscientiae securitatem.

Dico 4. Detractor tenetur ex Justitia restituere famam apud omnes, apud quos detraxit: alioquin fama non sufficienter repararetur: est communis & certa.

Sed utrum etiam apud illos, quibus primis auditoribus narraverit? Respondent communiter Theologi, quod, si detractor stipulatus fuerit silentium cum iis, quibus ipse narravit, aut prudenter existimaverit eos non revelaturos, non tenetur restituere apud istos audientes mediatos; quia haec ulterior divulgatio non censetur ipsi voluntaria, sed vel ipso invito, vel fortuito accidisse. Si autem praeviderit, aut praevideat potuit eos, quibus narravit, aliis narratores, teneatur auditoribus immediatis non restituentibus, restituere apud omnes, ad quos pervenit detractio; quia haec est ipsi voluntaria utpote implicitè volita, hoc ipso quo praeviderit, aut praevideat potuit securitatem ex sua prima detractio.

Dices: Saepè est impossibile scire omnes, ad quos pervenit detractio; & dato, quod sciantur, impossibile erit quandoque omnes adire, aut apud omnes reparationem facere. R. Detractorem non teneri ad id, quod revera est impossibile; teneri tamen facere quantum potest. Unde, si non possit omnes scire, vel adire, faciat reparationem publicam per contionatores, aut schedulas locis publicis affixas, maxime si falsum dixerit; quia si verum, parum plerumque proderit, ut notatum est. Hic videant, in quantas se conjiciunt angustias, qui tam facile aliorum famam dilacerant.

§. III. Causae excusantes a restitutione famae

HUC pertinent plura, quae dixi de causis excusantibus a restitutione in genere, illic recurre. Item suppono ex dictis, nullam esse obligationem restituendi, nisi fama reipsa & injustè sit ablata. Unde, quantumvis verba diffamatoria protuleris, si tamen famam non laesisti, aut ex justa causa laesisti, ad nullam restitutionem teneris. His suppositis,

Prima causa, excusans detractorem a restitutione famae, est, quando fama est aliunde recuperata, sive per rei evidentiam, sive per testimonium inductionem, sive per sententiam Iudicis, sive aliter: quia tunc cessat damnum, & consequenter obligatio illud reparandi. Tenetur tamen detractor restituere damna, quae secuta sunt ex prioris sua diffamatione; item & sumptus, si quos fecerit infamatus ad recuperandam famam. Imò iuxta Sylvium pro ipsa infamia, quam sustinuit ante reparationem, aliqua compensatio est faciendi arbitrio boni viri, puta per signa honoris, aut doloris, per laudes, aut aliter. Utrum tamen haec obligatio multum urgeat? vix credo, nisi statuatur a Iudice, cum nec sit in usu, nec multam eam curet infamatus, fama semel recuperata. Ad hanc causam reducitur, si progressu temporis infamia sit prorsus oblitterata, ita ut moraliter loquendo non sit periculum, ut reviviscat, quia, posita ista absoluta oblitteratione, fama est recuperata, perinde ac si non fuisset ablata. Verum in praxi non ita facile est distinguere, an omnino sit oblitterata infamia, an sopita tantum, sitque proinde, vel non sit periculum, ne recrudescat. In tali autem dubio magna prudentia opus est, & valde caute procedendum. Si enim tentes restituere, aut interrogas auditores, an recordentur talis facti, forte refricabis memoriam peccati prorsus obliti: omnino taceas, forte species rei tantum sopita, data occasione, reviviscet. Quid ergo facto opus? Consule te ipsum, & quod velles in pari casu erga te fieri, fac erga alterum. Quod si secundum leges prudentiae taceas, cum tamen infamatus subeat periculum, ne recrudescat infamia, pro illo periculo remanente teneris ad aliquam compensationem, ipsum v. gr. coram aliis

aliis laudando, honorando, aut aliter.

Secunda causa excusans a restitutione famae (Hic q. 73. a. 4. ad 1.) est remissio expressa, vel tacita laesi. Quia, ut probavimus Diss. de Jure art. 2. concl. 4. Homo est dominus suae famae, sicque est sui arbitri detrimentum famae suae pati, sicut & bonorum fortunae, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum. Dixi 1. Remissio expressa, vel tacita; quia, sicut in debitis pecuniariis sufficit tacita remissio, seu praesumpta voluntas laesi, sic & in debito famae; intellige etiam honoris: ita quod si laesus sic sit dispositus, ut si interrogaretur, aut rogaretur, spontè remitteret, proindeque non sit invitus, saltem quoad substantiam, famam, vel honorem non sibi restitui, cessat obligatio restituendi; & ita saepe contingit in parentibus erga liberos irreverentes. Dixi 2. Nisi vergat in detrimentum aliorum: quia, si infamatus remittendo diffamatori obligationem restituendi noceat aliis, quibus ejus fama est necessaria, non potest remittere. Potest autem tripliciter fama alicujus esse aliis necessaria. 1. Sic ut ab ejus fama, vel infamia pendeat fama, vel infamia aliorum, ut ex fama, vel infamia Monachi pendeat fama, vel infamia Monasterii. 2. Sic ut ejus fama sit necessaria ad praestanda proximo, quae ipsi debet ex officio, sic fama Praelati est necessaria, ut bene regat subditos; & qui in his duobus casibus cederet juri famae, probabile est, quod peccaret contra Justitiam & nulla esset cessio. Si autem illius fama sit tantum necessaria, ut exhibeat proximo officia charitatis, sicut necessaria Praedicatori, v. gr. cedendo famae, peccat tantum contra charitatem, & valida est cessio. Confer, quae dixi loco cit. de Jure.

Tertia causa est, si peccatum occultum, quod revelasti, fiat aliunde publicum, quia ex illa publicitate, qui prius fuerat à te secreto diffamatus, amittit jus ad famam quantum ad istud crimen; quod etiam verum probabilius videtur, quamvis injustè crimen evaserit aliunde publicum. Quia licet per injuriam non amiserit jus ad famam, amisit tamen per id, quod ex injuria sequitur, quod est esse publicum, ut dixi art. praeced. §. 5. concl. 2. & ita docet Sylvius cum pluribus aliis. Tenetur tamen diffamator resarcire damna, quae passus est diffamatus antè publicitatem criminis & injuriam aliquo modo compensare; ut dixi circa 1. causam.

Quarta causa est impotentia moralis, quae tunc censetur adesse, quando non potest fieri restitutio absque detrimento longè majori, quam sit illud, quod patitur infamatus. Patet ex dictis de causis excusantibus a restitutione in genere. Hinc inferes 1. Quod nemo regulariter teneatur restituere famam cum detrimento vitae, quia vita, utpote superioris ordinis, est bonum longè praestantius famam. Dico: Regulariter; quia, si forte ex detractioe tua diffamati vita periclitaretur, ut si imposuisses alteri crimen, propter quod est morte plectendus, quamvis te retractando par periculum incurras, teneris retractare; quia in pari causa melior est conditio innocentis, quam nocentis; & calumniando, te huic periculo subjecisti. Idem dici debet, si ex detractioe tua periclitetur bonum commune, ut si v. gr. dixisses de haerede Regni esse spurium, & ob hoc excludatur a Regno, quod transit ad Hereticam, vel Tyrannum: quia bonum publicum praestat vitae alicujus privati. 2. Inferes, quod detractor tenetur restituere famam ablatam cum detrimento bonorum fortunae, quia sunt inferioris aestimationis ad famam: nisi forte damnum in bonis fortunae ita excoeresceret, ut moraliter loquendo multum excederet infamiam alicujus vilis, aut communis personae. 3. Inferes, quod tenetur etiam detractor restituere cum detrimento propriae famae, quia, ut dictum est, in pari causa melior est conditio innocentis, quam nocentis; & diffamando se huic periculo subjecisti: nisi forte fama ejus esset necessaria bono communi, & per retractionem gravem incurreret infamiam.

Quinta causa est compensatio mutua, non quidem hoc sensu, quod liceat diffamato regerere diffamationem suo diffamatori; id enim est vindicta pura, nec ullatenus potest dici defensio, cum, ut suppono, diffamatus diffamando suum detractorem, non reparat, aut impedit damnum suae famae (si enim ita esset, recriminatio non esset illicita, ut patet ex dictis a. 2. §. 3.) sed hoc sensu, quod si is, quem diffamasti, te vicissim diffamet, uterque possit cedere juri vestro, & ex mutuo consensu manere cum vestra infamia; ita Soto, Sylvius, & communis contra Navarr. & Delago. Neque solim ex mutuo consensu, sed etiam altero invito, ut si tu nolens alteri restituere, velis tamen quod alter tibi restituat. Ratio est; quia in temporalibus quando jura sunt paria, si unus non vult ser-

vare alteri jus suum, alter non tenetur etiam illis servare suum, ut patet in debitis pecuniariis; si enim, dum debeo tibi centum, & ut mihi pariter debes centum, recusas solvere meum debitum, non teneor solvere tuum.

Neque dicas, disparitatem esse, quod in debitis pecuniariis denegando debitum alteri reparem damnum, quod mihi intulit; ut denegando tibi reddere centum, quae a te abstuli, reparo aequale damnum, quod mihi intulisti; at in debitis famae, non restituendo alienam, quam abstulisti, non ideo recupero meam, quam ille alter abstulit: non obstat, inquam, quia & in debitis pecuniariis idem potest contingere, ut si, dum incendisti horreum meum & ego tuum, non vis mihi restituere, non ego teneor tibi, & tamen inde non reparo damnum horrei mei incensit: licet ergo in his non reparetur damnum, tamen tollitur obligatio reparandi damnum alterius, dum ipse non vult resarcire meum. Et ita docet Jus Can. C. Tua fraternitas tit. de Adulteriis 16. l. 5. ubi Innocent. dicit: Paria crimina compensatione multa delentur.

ARTICULUS IV.

De Susurratione, Derisione, & Maledictione.

§. I. De Susurratione. D. Th. Q. 74.

Petes 1. Quid sit susurratio? R. Susurratio, dicta a susurro, generaliter sumpta, est quaecumque locutio secreta ad aures missitanda, & quasi susurrando. Theologicè sumpta (Q. 74. a. 1. o.) est oblocutio mala & theoretica de proximo, ad dissolvendam veram amicitiam.

Explicatur (Ibid. ad 1.) Dicitur oblocutio mala, non quod susurro semper dicat, quod verè malum est, sed quod vel verè vel apparenter est malum, quatenus dicit id, quod displicet ei, cui dicitur, & quod ejus animum turbat adversus alterum, etiamsi sit secundum se bonum.

Dicitur ad dissolvendam amicitiam, quod intelligi debet non solum privatè, sed contrariè; quamvis enim sit vera susurratio, quae simpliciter tollit amicitiam, non est tamen completa nisi simul inferat discordiam & inimicitiam. Unde Prov. 26. dicitur, Susurro subtrahit jurgia cessabit. Et Eccles. 28. Vir peccator conturbabit amicos & in medio pacem habentium immittet inimicitiam. Dicitur, ad dissolvendam veram amicitiam; quia dissolvere amicitiam inordinatam & in malo fundatam, quae non est vera amicitia, ut inter fures, inter concubinam & concubinarium, non est susurratio, sed opus charitatis.

Ex his inferes, (Ibid. o.) quod susurro conveniat cum detractore in materia & in modo loquendi, quia uterque malum occultè dicit de proximo; & quamvis susurro quandoque dicat, quod de se malum non est, eo tamen modo & ea intentione dicit, ut audienti appareat malum, ut dictum est. Differunt autem in fine; quia detractor intendit denigrare famam proximi, & susurro amicitiam dissolvere. (Ibid. ad 3.) Et quia amicitia inter duos, susurro dicitur Bilinguis, quatenus utitur quasi duabus linguis, uni dicens uno modo, alteri altero modo. Et ideo dicitur Eccl. 28. Susurro & bilinguis maledictus multos enim turbabit pacem habentes.

Petes 2. Quale sit peccatum susurratio? R. (Ibid. a. 3.) Esse ex genere suo peccatum mortale contra charitatem, gravius detractioe & contumelia. Prob. 1. pars ex Scriptura. Ad Rom. 1. Susurrones recensentur inter illos, qui dicuntur Deo odibiles. Eccl. 28. dicitur, Susurro & bilinguis maledictus. Prov. 6. dicitur: Sex sunt, quae odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus: septimus autem assignatur, qui seminat inter fratres discordias. Non tamen est sensus, susurrationem esse peccatum gravius sex prioribus, inter quae 3. loco numeratur homicidium, sed quod una cum illis Deus abominetur susurrationem, ita ut sensus sit: sex odit Deus, imò septem abominatur; unde Hebraicè pro septimo legitur septem, & est modus loquendi satis frequens in scripturis, ut advertunt Interpretes: Prob. ratione. (Ibid.) Peccatum in proximum est tantò gravius, quanto per ipsum majus nocumentum inferitur proximo; nocumentum autem tantò majus est, quanto majus est bonum, quod tollitur; atqui inter cetera bona exteriora praeminet amicus, quia sine amico nullus potest vivere, ait Philo. 8. Ethic. & ut dicitur Eccl. 6. Amico fideli nulla est comparatio.

Et hinc patet 2. pars: (Ibid.) quia amicus fidelis praevallet famae, quam aufert detractio, & honori, quem aufert contumelia; fama enim ad hoc maxime necessaria est, ut homo idoneus ad amicitiam reddatur: unde di-

dicit Philosophus loco cit. amicus est melior, quam honor, & amari, quam honorari.

Dixi, esse mortale ex genere suo: quia in individuo potest esse veniale, vel ex imperfectione actus, vel ex levitate documenti intenti, vel causati, quod plerumque accidit, quando solum tollitur amicitia inter eos, quibus est maxime necessaria, ut inter conjugatos, item inter parentes & proles.

Petes 3. Utrum susurratio non sit etiam contra justitiam? R. Si fiat vi, dolo, mendaciis, detractionibus, aliisve modis injustis, est contra justitiam; quia unusquisque habet jus strictum, ne a bono, etiam gratuito habito vel habendo, per media injusta deturbetur. Si vero fiat absque vi, vel dolo, aliisve mediis injustis, sed vel narrando defectus notos, vel presibus, aut suasionibus, non est contra justitiam: quia amicitia est quid mere gratuitum, in gratis autem non laeditur justitia. Neque refert, quod amicus de facto possideat amicitiam alterius, possidet enim gratias & omnino dependentem a voluntate libera amici; unde, sicut iste potest sine iniuria auferre amicitiam altero, ita ego possum sine iniuria suadere & conari mediis licitis, ut auferat. Confer, quae dixi supra de eo, qui impediatur alium a consecutione boni.

Petes 4. An omnes susurrationes sint ejusdem speciei? R. affirmativè: quia, licet amicitiae differant specie, alia enim fundatur in bono honesto, alia in bono utili, alia in bono delectabili, susurratio non respicit has diversas rationes, sed simpliciter dissolvit amicitiam, in quovis bono fundetur; & hæc est eadem ratio formalis objectiva in omnibus susurrationibus. Ita Cajet. Bannes, Sylvius, &c.

§. II. De Derisione. D. Th. Q. 75.

Petes 1. Quid sit derisio? R. (Q. 75. a. 1. o.) Derisio est vitium, quo quis jocando objicit alteri aliquid vitiosum, ut erubescat. Dicitur: *jocando*; (Ibid. in a. s. c.) quia derisio fit ludo, dum scilicet defectus alicujus in risum, vel ludum vertitur, unde & illud nominatur; & per hoc iam differt a contumelia, detractione, & susurratione, quae serio fiunt.

Dicitur: *ut erubescat*; (Ibid. o.) & est finis & objectum formale derisionis. Et quia peccata verborum præcipue pensanda sunt secundum intentionem proferentis, per id derisio maxime & essentialiter differt a contumelia, detractione, & susurratione: quoniam ista intendit honorem deprimere, detractor diminuire, susurro tollere amicitiam; derisor autem, ut erubescat & turbetur is, qui irridetur. Non est autem erubescencia dehonoriatio, sed timor dehonorationis.

Diversis modis potest fieri derisio, (Ibid. ad 1.) ore, verbis scilicet & cachinnis, & dicitur proprie irrisio: 2. Rugato naso; & dicitur subsannatio. 3. Factis, & dicitur illusio: sed quia omnes modi conveniunt in fine & objecto formali, non differunt specie.

Petes 2. Quale sit peccatum derisio inordinata? Autè respons. nota: (Ibid. a. 2. o.) derisio non est nisi de aliquo malo, seu defectu: malum autem, si magnum reputetur, non accipitur pro ludo, sed serio; & ideo si in ludum vel risum vertatur (unde dicitur derisio) hoc est, quia accipitur ut parvum. Potest autem aliquod malum accipi ut parvum dupliciter: uno modo secundum se, alio modo ratione personae, quae vilis habetur, sicut defectus puerorum & stultorum, quamvis secundum se graves, pro parvis habemus ratione, personae parumque ponderare solemus. Hoc notato, R. (Ibid.) Dum aliquis alterius personae malum, seu defectum in ludum, vel risum ponit, quia secundum se est parvum malum, est veniale & leve peccatum secundum genus suum; quia sic non importat contemptum, sed ludum, nec causat gravem erubescencia, nec gravem turbationem.

Dum autem (Ibid.) ponit in ludum, vel risum aliquod malum secundum se grave, sed quia accipitur parvum ratione personae, est peccatum mortale propter gravem contemptum adjunctum; quia sic aliquem irridere, est eum omnino parvipendere, & tam vilem habere, ut de ejus malo quamvis gravi non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum: sicut habere solemus defectus etsi graves puerorum & stultorum, ut dixi: sicque est gravius peccatum, quam contumelia, quae similiter est in manifesto; quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriose, illud autem in ludum, & ita videtur esse major contemptus. Porro tantò gravius. (Ibid.) est istud peccatum, quanto major reverentia debetur personae, quae

illuditur: unde gravissimum est irridere Deum, & ea, quae Dei sunt. Secundum locum tenet irrisio parentum; deinde justorum derisio, quia honor est virtutis præmium, & contra hoc dicitur Job. 12. *Deridetur justus simplicitas*, quae quidem derisio valde nociva est, quia per hoc homines a bene agendo impediuntur.

Dixi in petitione: *Derisio inordinata*; quia potest esse derisio ordinata absque peccato. 1. Si fiat, ut derisus a peccato respiciat, sic enim opus est charitatis pertinens ad correptionem fraternam. 2. (Q. 71. a. 2. ad 1.) Ex virtute Entrapeliz, dum amici non animo pudentiendi, sed recreationis ergo, quaedam levia sibi invicem jocando objiciunt. Id tamen periculo non caret; sunt enim plerique, qui dum libenter alios derident, ad minimam sui derisionem excandescunt.

Sed quid, si quis de levi malo derisus graviter erubescat & turbetur, erine peccatum mortale derident? R. quodam affirmare esse peccatum mortale contra charitatem, si derisor hanc gravem turbationem prævidet. Negant alii, si tamen non prudenter, sed fatuè derisus graviter turbetur ex levi derisione, hæc enim, inquit, non est ipsi causa hujus gravis turbationis, sed ipsa ejus fatuitas: & alioquin, inquit Serra, esset replere mundum peccatis mortalibus. Prima tamen Sententia est charitatis conformior.

§. III. De Maledictione. D. Th. Q. 76.

Nota (Q. 76. a. 1. o.) Maledicere idem est, quod malum dicere. Dicere autem tripliciter se habet ad id, quod dicitur. Uno modo enuntiativè, & sic maledicere nihil aliud est, quam malum alterius referre, quod pertinet ad detractionem, aut alia vitia præcedentia. Alio modo dicere se habet ad id, quod dicitur per modum causae: & hoc primo & principaliter competit Deo, quæ omnia verbo suo facit, juxta illud Ps. 32. *Dixit & facta sunt*. Unde Dei maledictio importat omnia mala poenæ, quæ spectant damnationem æternam (alia enim mala non sunt verè mala, & Deus non causat malum culpæ) sicut Dei benedictio importat omnia bona maxime quæ spectant æternam beatitudinem. Unde petere liberari a Dei maledictione est petere liberari ab æterna damnatione; & petere ejus benedictionem est petere salutem æternam & ea, quæ ad illam conducunt. Consequenter autem dicere per modum causæ competit hominibus, qui verbo suo aliquos movent per imperium ad aliquid faciendum. Sic Juxta maledicti fur, quando jubet eum suspendi. Sic Ecclesia maledicit contumacia, quando eum subjicit anathemati. Tertio modo dicere se habet ad id, quod dicitur quasi expressio quædam affectus desiderantis id, quod verbo exprimitur, quod fit per verba optativi modi: ut, *utinam tibi frangas crura: utinam fulmen te conterat: utinam diabolus te auferat*. Similiter, si dicitur simpliciter: *diabolus te auferat: fulmen te conterat*; quia licet hæc verba possint intelligi imperativè, quia tamen homo verbo suo hæc efficere non potest, intelliguntur dicta optativè. De 1. modo maledicendi egimus in præced. De 2. in Diss. de Restit. dum de cooperantibus ad damnatum, præsertim dum de *Subente*. Restat ergo agere de 3. quod est imprecari & optare malum alicui, & qui communis dicitur maledicere. Unde

Dico: (Ibid. a. 1. 2. & 3. o.) Maledicere, seu imprecari malum sub ratione mali alicui creaturæ rationali est ex genere suo peccatum mortale; quia 1. excludit a regno Dei, juxta illud Apost. 1. Cor. 6. *Neque maledicti, neque rapaces Regnum Dei possidebunt*. 2. Quia secundum se repugnat charitati, qua diligimus proximum volentes bonum ipsius. Et tantò gravius est hoc peccatum; (Ibid. a. 3. o.) quanto personam, cui maledicimus, magis amare & revereri debemus: unde gravissimum est maledicere Deo, & pertinet ad blasphemiam; deinde maledicere Parentibus, & pertinet ad impietatem: idque distinguendum in Confessione; sicut & aperienda est qualitas mali optati, an mortem, an infirmitatem, an jacturam famæ, vel fortunæ optaveris; (Ibid. a. 4. ad 2.) quia maledictio est ejusdem speciei cum malo, quod optatur, ut si optes mortem, pertinet ad homicidium; si jacturam bonorum, ad furtum; quia velle & facere habent idem objectum, & consequenter sunt ejusdem rationis: & in hoc differt maledictio a contumelia & detractione, quod in his mala, quæ dicuntur, non desiderantur, sed potius displicent, in maledictione autem desiderantur, unde actum specificant. Quod si maledicent nullum malum exprimat, sed in communem optet, ut male sit, pertinet ad peccatum odii; odisse enim est male alicui velle, sicut diligere est bene illi velle.

Ex

Ex quo insuper habes, quod, si quis uno ira impetu alicui plura mala, mortem, inlamiam, jacturam bonorum, &c. imprecetur, quamvis sit unus actus physicus, sint tamen in genere moris tot species maledictionis, quot specie distincta mala optata, & ideo in Confessione accusanda. Item, dum quis maledicit toti familie, debet explicare, quot sint in ea personæ, quia vel sunt tot numero distincta peccata, quot sunt personæ, juxta aliquos, eò quod unaquæque persona est capax distinctæ injuriæ; vel si sit unum tantum peccatum juxta alios, eò quod feratur in omnes collectivè per modum unius, æquivalet tamen pluribus. Neque refert, quod, qui furatur semel pecunie summam ad plures pertinentem, non committat plura peccata numero distincta, aut unum æquivalens pluribus: disparitas est quod iste fur non intendat formaliter & expressè injuriam, quæ ex furto obvenit pluribus summæ surreptæ dominis; maledicent autem intendit formaliter & expressè injuriam, seu malum cuilibet de familia.

Dixi 1. in conclus. (Ibid. a. 1. o.) *Imprecari malum sub ratione mali*; quia imprecari malum sub ratione boni est licitum, nec est maledictio per se loquendo; quia principalis intentio non feratur ad malum, sed ad bonum. Sic licet optare aliquem peccatorem pati aliquam infirmitatem, ut vel ipse melior efficiatur, vel ab aliorum nocimento cesset; Turcis, Hæreticis, aliisve Ecclesiæ, vel Republicæ perturbatoribus imprecari mortem, aut alias clades, amore boni communis, aut religionis. Nec obstat, quod sæpe non possimus licite inferre illa mala: non enim optamus inferre, aut facere, sed optamus, ut inferantur, aut fiant eo modo, quo & a quibus licite inferri, aut fieri possunt. Neque tamen hinc inferas, licere filio optare mortem Patri, ut pinguem hereditatem adeat. 1. Quia vita Patris nulli est nociva, ut suppono. 2. Quia, quæ diximus, sunt intelligenda, quando malum optatum est minus, quam malum, quod vitare intendimus: mors autem Patris est pejus malum, quam privato hereditatis, & filius debet plus diligere vitam Patris, quam privatam suam commoditatem temporalem.

Dixi 2. (Ibid. a. 2. o.) *Alicui creaturæ rationali*; quia, cum creaturæ irrationales careant ratione & dominio suarum actionum, non sunt capaces justitiæ, vel injuriæ, nec eas secundum se tenemur diligere ex charitate; qua propter illis absolute in se consideratis maledicere non est peccatum mortale, est tamen otiosum & vanum, & consequenter peccatum veniale. Quod si considerentur, ut habent aliquem respectum ad aliquod malum sive ut causa, sive ut signum, sive ut continent, sive aliter, illis tropologicè maledicere, referendo scilicet maledictionem non ad ipsas, sed ad ipsum malum, nullum est peccatum: sic Job maledixit diei natiuitatis suæ, non ratione sui, sed propter culpam originalem, & alias miseras, quas hac die contraxit: sic David maledixit Montibus Gelboë, non secundum se, sed ratione credis Saulis & Jonathæ, quæ ibi conigerat. Maledicere verò creaturis irrationalibus, ut sunt creaturæ Dei, est blasphemiam; (Ibid. a. 1. ad 3.) quod etiam verum est de ipsa natura diaboli, sub hac ratione considerata. Maledicere illis, quatenus sunt hominis, & ejus usus deserviunt, ut imprecari sterilitatem vineis, aut agris, mortem animalibus, æris intemperiem, &c. perinde est, ac ipsi homini maledicere.

Dixi 3. (Ibid. a. 3. o.) *Est ex genere suo peccatum mortale*; quia in individuo potest fieri veniale, vel ob parvitatem mali, quod quis alteri imprecatur, vel ob imperfectiorem actus, ut dum quis absque perfecta deliberatione ex subito motu ira profert verba maledictionis, aut deliberatè quidem, sed sine animo, ut eveniant mala, quæ ore profertur, ut plerumque contingit illis, qui vel ex ludo, vel ex consuetudine verba imprecatoria proferunt: quia, ut jam sæpe dictum est, peccata verborum ex affectu pensantur; & revera, ubi deest mala intentio, maledicent neque animo, neque opere quemquam lædit. Possent tamen hujusmodi maledictiones ex circumstantiis esse mortales, quales putamus maledictiones filiorum in parentes, tum ratione scandalii, cum ratione gravis irreverentiae: item ratione scandalii maledictiones graves & frequentes parentum in filios, dominorum in domesticos.

Observant autem hic Theologi post Cajet. non esse signum sufficiens aliquem non maledixisse ex animo, quod cessante motu ira non vellet malum evenire, aut doleret, si eveniret; id enim bene probat, quod animus non persistat in malo, ad non quod non fuerit malus: id autem venandum est ex ipso tempore ira; si enim tunc voluerit ut eveniret, sicut imprecabatur, peccavit mortaliter, quamvis nunc pacato animo non vellet amplius, ut eveniret. Quod

Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

si dubium sit, an voluerit tempore ira, inspicienda est conditio personæ, cui malum est imprecatur: si amica sit & grata, præsumendum est quod non voluerit: secus, si inimica & ingrata: si indifferens, recurrendum est ad consuetudinem maledicentis, si enim solet iratus ex animo maledicere, sic in dubio maledixisse judicanda; secus, si non solet ex animo maledicere.

Petes, utrum maledictio sit gravius peccatum, quam detractionis? R. (Ibid. a. 4. o.) Quod detrahitio sit gravius peccatum, quam maledictio, si cetera sint paria, hoc est, si tantum malum inferat detrahitio, quantum optet maledictio; quia ceteris paribus gravius est nocimentum inferre, quam nocimentum desiderare: unde gravius peccat, qui infamat, quam qui infamare optat.

Petes insuper, quid sit murmuratio, & quare S. Th. de ea non egerit, cum etiam pertineat ad injuriam verborum? R. Murmuratio, sumpta scilicet in malam partem, est *clancularia oblocutio injuriosæ querulantis*. Est autem *injuria* vel ex parte objecti, quia de re justa conqueritur; vel ex parte modi, quia conqueritur de re injusta, sed ex ira, impatientia, cum contemptu, aut sine utilitate. De ea vero non egerit S. Th. quia ad præcedentia reducit, maxime ad detractionem & susurrationem.

APPENDIX.

De Revelatione Secreti.

Quia indebita secreti revelatio etiam pertinet ad injuriam verborum præter pauca, quæ jam diximus dum de Teste, cetera, quæ illam spectant, breviter hic discutienda suscipimus. Secretum est, quod clanculariè ab aliquo, vel a tam paucis scitur, ut neque sit famosum neque notorium. Secreti servandi triplex est obligatio: una ex eo præcisè; quod ejus revelatio noceret proximo; altera ex promissione expressa, vel tacita illud servandi; tertia ex lege sacramentalis Confessionis; de hac ultima, dum de Penitentia. Prima fundatur in illa Lege naturali de non nocendo proximo; & in tantum obligat, in quantum ex revelatione sequeretur damnum. Sic, si scias fortuitò, ubi recondatur thesaurus alicujus, & ex revelatione prævides surripendum, revelando peccas contra Justitiam, & teneris ad restitutionem. Secunda (Q. 70. a. 1. ad 2.) fundatur in lege naturali de servanda fidelitate, & præstandis promissis; ita ut, qui illam violat absque justa causa, non minus peccat contra fidelitatem & justitiam, quam qui violat fidem depositi, proindeque mortaliter ex genere suo. Hinc Prov. 13. dicitur: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum*: erit tamen peccatum veniale, si nullum, aut leve damnum sequatur; aut propter imperfectiorem actus, puta si inadvertenter fiat revelatio, si bona fide putetur, rem esse levis momenti, aut non esse commissam sub secreto.

Porro ex promissione tacita tenetur, servare secretum Consiliiarii, Officiales belli, quibus secreta Republicæ vel Exercitus committuntur, Advocati, Medici, Chirurghi, Obstetrices, Theologi, imò probabilis amici & propinqui, quibus consilii, auxilii, vel solatii accipiendi causa secretum aperitur. Hi enim omnes & similes hoc ipso, quo talia secreta suscipiunt etiam absque expressa promissione illa servandi, censentur tacite se obligare ad illa servanda.

Dixi: *absque justa causa*: (Q. 68. a. 1. ad 3. & q. 70. a. 1. ad 2.) quia ubi justa causa subest, non est peccatum revelare secretum: justa autem causa est 1. Si opus patrandum sub secreto apertum vergat in detrimentum boni communis, aut etiam alicujus privati innocentis: ut dum Titius sub secreto tibi dicit, se prodicionem Civitatis, aut occisionem Cæli intendere & moliri, si non possis aliter Titium a proposito avertere, potes & teneris prodere secretum, etiamsi sub juramento promississes illud servare, quia ex lege charitatis unusquisque tenetur magis cavere malum commune, aut etiam alicujus privati innocentis, quam nocentis ex malitia nocere volentis: neque juramentum ligat contra bonos mores ex Reg. Juris 58. in 6. Item justa causa est, si ex secreto servato imminet committenti, vel recipienti grave damnum. Unde; si quis tibi secreto committat se velle inire matrimonium cum impedimento dirimente, & non possis aliter ipsum impedire, teneris revelare, ut impediatur ejus peccatum & Sacramenti irreverentiam. Similiter, si Petrus causa petendi consilii tibi sub secreto revelavit homicidium a se perpetratum, & tu postea hujus homicidii accuseris, potes auctorem prodere, si non possis aliter evadere, quamvis etiam sub juramento se-

Ccc

cre-

cremum promississet. 1. Quia debitum secreti, non secus, ac alia debita, cessat, quando sine dispendio salutis, vitæ, famæ, aut gravis fortunæ servari non potest. 2. Quia nemo sensatus promittendo etiam sub juramento servare secretum, censetur ad tales casus suam obligationem extendere voluisse; sed potius præsumitur quod ex ordine charitatis propriam incolumitatem alienæ anteponeat.

Excipe tamen, saltem secundum plures, nisi in ultimo casu promississet servare secretum etiam cum dispendio vitæ, vel famæ; cum enim objectum talis promissionis sit honestum (licet enim ex motivo virtutis vitam pro proximo exponere, aut delinquere) non videtur, cur servari non debeat. Excipe etiam, nisi ex revelatione secreti periclitetur bonum commune: unde secreta Reipublicæ, aut Exercitus Gallis non potest ob quavis tormenta revelare Austriacis, nec Austriacis Gallis; quia salus Reipublicæ est anteponenda propriæ vitæ.

Ex dictis inferes (Q. 70. a. 1. ad 2. & quodl. a. 15. o.) Superiori præcipienti revelationem illud secreti subditum teneri obedire, si agatur de peccato committendo, quod aliter impediri non potest; non teneri autem, si agatur de peccato commisso, ex quo nullum amplius cuiquam imminet detrimentum, aut de aliquo faciendo nemini nocivo. Confer dicta de Teste.

Quid de apertione litterarum & expiscatione secreti? R. Qui litteras, aut scripturas alienas secretas legit absque consensu mittentis, aut recipientis, absque legitima auctoritate, seu causa justa, vel aliter per vim, seu fraudem alterius secretum expiscatur, peccat contra Justitiam; tum qui unusquisque habet jus ad suum secretum, ergo facit illi injuriam, qui per vim, aut fraudem illud extorquet; tum quia, qui legit scripturas alienas secretas, vitior re aliena, invito rationabiliter domino: ergo. Ita Navarr. in Man. c. 18. n. 53.

Hoc autem peccatum erit mortale, vel veniale pro qualitate vel damni, vel periculi, vel intentionis gravitatis, aut leviter damnificandi. Unde peccat tantum venialiter qui aperit litteras, quas certò moraliter scit non continere nisi salutationes, nuncia publica, aut similia levis momenti, paratus tamen ad secretum, si casu aliquid occurreret sub secreto servandum. E contra peccat mortaliter, si sciat, aut dubitet ea continere, quæ alicujus famam graviter labefactant, aut ea, quæ secreta manere multum interest illius, qui mittit, aut recipit.

Dixi 1. 1. Litteras, aut scripturas secretas, quales sunt litteræ clausæ, aut etiam apertæ, sed in loco secreto v. gr. super mensam cubiculi repositæ, aut etiam casu amissæ; secus, si sint projectæ & pro derelictis habitæ. Dixi 2. Absque consensu mittentis, aut recipientis; quia, qui propter amicitiam & familiaritatem præsumit mittentem, aut reci-

ipientem consentire in apertionem suarum litterarum, non peccat saltem mortaliter, eas apertendo. Dixi 3. Vel absque legitima auctoritate; quia Prælati Religionum conceditur, imò in Ordine nostro præcipitur, ut litteras, quas sui subditi mittunt, aut recipiunt, legant, modò non sint litteræ subditi ad Prælatum majorem, aut Prælati majoris ad subditum. Eadem facultas jure gubernationis conceditur marito respectu litterarum uxoris, aut ad uxorem, & Patri respectu Filiorum. Ita Cajet. in Summ. V. Litteras & Pontas V. Secret. cas. 9. Dixi 4. Vel justa causa, nimirum ad advertendum grave damnum sibi, vel alteri innocenti. Hinc non peccant gubernatores, Præfecti exercitus, & similes, qui tempore belli aperiant litteras, sive hostium, sive civium: neque privatus, qui, fundatè timens per Epistolam grave damnum sibi, vel alteri parari, eam aperit; hi enim utuntur jure defensionis adversus injustos invasores. Ita Auctores cit. & S. Antonin. apud Navarr. cit.

Petes, utrum, qui per vim, vel fraudem secretum assecutus est, possit ad evitandum mortem illud revelare, si ex revelatione alteri, cuius est secretum, æquale periculum imminet? R. Prohibitum negativè cum Soto, Navarro, & aliis contra Lessium, oppositum probabiliter propugnantem. Ratio est; quia, qui injuriam alteri intulit, eam continuare non potest, sed e contra tenetur illam tollere, alioquin, sicut peccavi initio injuriam inferendo, ita etiam peccabit eam continuando: ergo, qui secretum alterius per injuriam assecutus est, tenetur semper suppressere; alias quocumque casu revelabit, injuriam renovabit & augebit: sicut, qui rem alienam furatus est, non potest ea uti cum detrimento domini, alias injuriam continuat, & gravius peccat.

Dices cum Lessio: qui rem alienam injustè apud se habet, potest eam consumere in extrema necessitate, etiamsi dominus pariter illa indigeat: ergo similiter in nostro casu. R. N. Conseq. disparitas est, quòd in extrema necessitate omnia fiunt communia, undè, qui detinet, quamvis ab initio injustè accepit, acquirit tunc jus in illam, & ea potest uti uti sua. At in nostro casu non videtur, quòd titulo, qui secretum alterius per injuriam adeptus est, possit illud proderè cum æquali damno illius, cui primò injuriam intulit.

Dices insuper cum eodem. In casu posito possum aperire secretum, quamvis stipularis sint alteri silentium: ergo etiam possum, quamvis injuriam extorsoribus; nam, qui ex contractu aliquid debet, non minus tenetur, quam qui ex delicto. R. N. Conseq. Quia intentio stipulantis silentium non se extendit ad hunc casum, ut dictum est suprà; quòd dici non potest de eo, qui per injuriam secretum alterius expiscatus est.

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

EGIMUS suprà de injustitiâ, quæ committitur in rebus exterioribus per commutationes involuntarias, nempe per furtum, rapinam &c. Nunc agimus de injustitiâ, quæ committitur per commutationes voluntarias, quæ alio nomine dicuntur Contractus. Et 1. de Contractibus in genere, deinde de variis Contractuum speciebus. Undè sit

DISSERTATIO I.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

Div. Thom. a Quæst. 77. & 78.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit Contractus?

Dico 1. Contractus, generalitèr sumptus prout comprehendit Contractum latè & strictè sumptum, definitur: *Duorum, plurimove in idem placitum & consensus, signo sensibili manifestæ, pariens obligationem, saltem in uno contrahentium.*

Dixi 1. Placitum & consensus quia sine consensu nullus est Contractus, ut modò fusiùs dicam. Dixi 2. Duorum, vel plurium in idem; quia non est obligatio justitiæ nisi

saltem inter duos; & unus non potest alteri conferre efficacitèr jus in rem, seu actionem suam, nisi alter in id consentiat & acceptet. Dixi 3. Signo sensibili manifestæ; quia homines non communicant inter se, nisi per signa sensibilia. Dixi 4. Pariens obligationem, quandoquè naturalem tantum, quandoque naturalem & civilem. Omnem autem Contractum validum parere obligationem, saltem naturalem & in foro conscientiæ, constat: 1. Quia unusquisque jure naturæ tenetur præstare, quod promissit, altero acceptante, sive promiserit titulo gratuito, sive oneroso. Hoc ipso enim quo quis acceptat promissionem factam, acquirit jus in rem, seu actionem promittentis ex

ejus

DE CONTRACTIBUS.

ejus libera voluntate. 2. Quia Contractus est privata lex, quam quis sibi voluntariè imponit, confirmata jure civili & naturali, quam proinde servare tenetur. Dixi 5. Saltem in uno contrahentium; & hinc est differentia inter Contractum latè, & strictè sumptum. Si enim in uno tantum pariat obligationem, est Contractus latè dictus, qualis est v. gr. promissio simplex, & donatio: Promittens enim obligatur ad servandam fidem, donans ad non revocandum donationem; ad nihil autem promissarius, aut donatarius obligatur. Si utroque pariat obligationem, est Contractus strictè dictus.

Definitur in jure: *Ulro citroque obligatio L. Labeo ff. de verb. signif.* Hanc autem definitionem Auctores communiter intelligunt in sensu causali, non formali: quia Contractus non est formalitèr ipsa obligatio, sed illam causat. Quidam tamen hanc definitionem intelligunt in sensu formali; quia, inquit, contrahere formalitèr est obligari, ergo Contractus formalitèr est obligatio: & hoc etiam verum est sumendo obligationem activè, & non passivè.

Dico 2. Variè sunt Contractus divisiones. 1. Dividitur in innominatum & nominatum. Contractus innominatus est, qui non habet speciale nomen, & est quadruplex, scilicet, *do, ut des; do, ut facias; factio, ut des; factio, ut facias;* v. gr. do tibi frumentum, ut des mihi oleum, est Contractus *do, ut des*: do tibi frumentum, ut labores in agro meo, est *do, ut facias*: & sic de cæteris. Ubi advertet, quòd id, quod datur, aut redditur, non debet esse pecunia, alias foret Contractus nominatus, puta, vel venditio, vel locatio, aut alter similis. Si dicas, tales Contractus rectè vocari posse permutacionem, respondeo id quidem verum esse; sed permutatio est nomen genericum, non minus quam Contractus.

Contractus nominatus subdividitur in illum, qui est in utilitatem utriusque contrahentis, & in illum, qui est in utilitatem unius tantum. Primi generis sunt novem, scilicet *Empio*, cui relativè opponitur *Venditio*; *Locatio*, cui relativè opponitur *Conductio*; *Census*, *Cambium*, *Emphyteusis*, *Feudum*, *Assecuratio*. Contractus secundi generis subdividitur iterum in eum, qui est in utilitatem solius accipientis; & est quintuplex, scilicet: *Mutuum*, *Commodatum*, sub quo continetur *Precarium*, *Pignus*, *Hypotheca*, *Fidei-jussio*; in eum, qui est in utilitatem solius dantis, & est *Depositum*; & in eum, qui est in utilitatem alterutrius indeterminate, & est *Sponsio*, & *Ludus*.

2. Dividitur Contractus in gratuitum, qui etiam dicitur *lucrativus*, & onerosum. Gratuitus est in quo nihil rependitur loco ejus, quod datur ut simplex promissio, & donatio. Onerosus est, in quo aliquid rependitur loco ejus, quod datur, ut sunt omnes alii Contractus jam recensiti.

3. Dividitur in explicitum & implicitum. Explicitus est, cum quis sive verbis, sive pactione, expressè & explicitè contrahit hanc, vel illam obligationem: ut si dicas: hoc promitto, vel do, ut hoc facias; vendo hanc mercem pro tali pretio, &c. Implicitus est, dum quis nihil exprimit de obligatione, aliquid tamen agit, ex quo sequitur obligatio, ut dum quis suscipit officium Præpositi, Tutoris, Pastoris, virtualitèr & implicitè se obligat Civibus, Pupillo, Parochianis, præstandi ea, quæ sunt talis officii.

4. Dividitur in contractum stricti juris, & bonæ fidei. Contractum stricti juris quidam intelligunt, prout opponitur æquitati, & Epikæ, ita quòd insistatur rigorosè verbis, quamvis ex circumstantiis colligatur, aliam fuisse mentem contrahentium; sed, ut bene advertit Layman, nullus contractus hoc sensu debet esse stricti juris, cum enim verba substituantur ut signa mentis, contra rationem est verba potius, quam intentionem contrahentium attendere. Itaque contractus bonæ fidei est, qui latiore interpretationem secundum æquum, & bonum recipit: stricti juris, qui est strictioris interpretationis, & difficiliùs recedit a tenore verborum. Notat Daëlmann, in Belgio omnes jam penè contractus esse bonæ fidei.

5. Alius est, qui solo consensu, alius, qui verbis, alius, qui scriptura, & alius, qui re seu traditione perficitur. Quamvis omnis contractus requirit consensum; & verba seu signa externa consensus manifestativa, sunt tamen quidam, qui sine verbis determinatis, sine scriptura, sine traditione, sed solo consensu per quæcumque signa manifestata perficiuntur, ut emptio, venditio, locatio, societas, sponsalia, &c. Statim enim ac venditor, & emptor de merce, & pretio convenerunt, etiam absque traditione mercis, & solutione pretii, perfectus est contractus & vestitus, paritque obligationem in utroque foro, ut dicam modo. Contractus, qui verbis perficitur, est stipulatio, ad quam

Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

olim requirebantur determinata verba; ut si unus dicat: *Promittis*? alter respondeat: *Promitto; dabis? dabo*, &c. Contractus scriptura perficitur, vel contrahentium voluntate, ut dum nolant contractum esse firmum nisi instrumentum illius sit scripturis exactum, & subscriptum; vel dispositione Juris ad substantiam contractus scripturam requirentis: quamvis sæpe etiam Jus requirat scripturam, non ad substantiam contractus, sed ad ejus probationem tantum. Tandem re, seu traditione perficiuntur hi contractus, qui ipso nomine dationem, vel facionem significant, ut mutatio, commodatio, depositio, seu depositum, & omnis contractus innominatus. Dum ergo quis promittit mutare v. gr. sed nonnam mutuat, non est perfectus contractus, nec parit obligationem civilem, sed naturalem tantum.

6. Tandem celebris divisio apud Jurisconsultos est in contractum nudum & vestitum. Contractus nudus est is, cujus obligatio naturalis non est jure civili confirmata, ita quòd non conferat actionem in foro externo. Tales sunt omnes contractus innominati antè adimpletionem saltem ex una parte: itèr promissiones contractuum per traditionem perficiendorum, v. gr. promittis te datum mutuum Joanni mille florennos, est contractus nudus pariens quiddam obligationem naturalem, at non civilem; quia Jus civile, licet non tollat, nec impediatur obligationem naturalem, eam tamen non confirmat, nec ex illa actionem concedit in foro externo ad vitandam litium multiplicitem. Contractus vestitus e contra est is, qui obligationem naturalem, & civilem inducit, seu cujus obligatio naturalis confirmatur jure civili, & ideo concedit actionem in foro externo. Sex modis vestiuntur contractus. 1. Contractus nominati, qui solo consensu perficiuntur, de quibus suprà, hoc ipso quo sunt substantialitèr perfecti, consentur vestiti. 2. Stipulationes sub certa verborum forma sunt vestitæ; nunc verò stipulationes, seu pacta vestiri solent scriptura privata, vel publica. 3. Contractus re perficiendū vestitur per traditionem. 4. Contractus de se non vestitus vestitur per adjectionem ad alium contractum vestitum, v. gr. vendis mihi domum cum pacto, ut illam habites per annum. 5. Contractus vestitur legis privilegio, sic promissio solvendi debitum alienum acceptata privilegio legis est vestita. 6. Tandem secundum probabiliorem sententiam contractus juramento firmatus est vestitus. Plura de his ad Juristas.

ARTICULUS II.

De Consensu ad Contractum requisito.

Omnes conveniunt aliquem consensum requiri ad validitatem contractus; consensus enim est constitutum & forma contractus, cum definiatur obligatio plurium in idem consensus; sed difficultas est, qualis consensus requiratur. Quidam recentiores Lovanienses post Turrianum existimant, sufficere consensum in verba serio prolata absque ullo animo contrahendi; ita ut qui serio profert verba contractus, quamvis intus non consentiat in contractum & obligationem, imò dicat intra se: nolo contrahere, nolo me obligare; verè & valide contrahat, ac se obliget. Sed negant alii communiter contenduntque ad validitatem contractus non sufficere consensum in verba serio prolata, sed requiri consensum in ipsum contractum & obligationem. Patent tamen, cum, qui sic verbotentis contraheret absque animo contrahendi, teneri stare contractui, in quantum interest alterius contrahentis, non quidem vi contractus, quasi esset validus, sed ex lege generali Justitiæ, qua tenetur deceptionem tollere, & quem per fictionem læsit indemnem servare: Cum quibus

Dico: Non sufficit ad validitatem contractus consensus in sola verba, sed requiritur consensus in ipsum contractum, ita quòd contractus verbotentis sine animo contrahendi, & se obligandi sit contractus fictus, & nullus in foro conscientiæ. Dico: in foro conscientiæ; quia in foro civili, ubi de interioribus judicatur per exteriora, reputatur validus ex presumptione, quòd contrahens intus sciverit, quòd exterius expressit. Prob. Per contractum transfertur jus in rem: seu actionem unius contrahentis in alterum, ex quo paritur obligatio, dum alter acceptat; atqui ad hoc non sufficiunt verba, etiamsi serio prolata; sed requiritur quòd contrahentes consentiant in ipsam juris translationem & acceptationem: ergo. Prob. Minor. Verbis, etiamsi serio prolatis, non est vis translativa, sive obligatoria; id enim non habent neque ex sua natura, seu institutione: cum juxta omnes Philosophos